



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

L. Decreta confirmantur ad favorem Vicariorum Apostolicorum apud Sinas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

partibus, eorumque Missionarii varias vexationes à Ministris Inquisitionis Goanae receperunt.

DD. Vicarios Apoll., eorumque Missionarios pro tempore eximit à quacumque Jurisdictione Inquisitionum Civitatis Goanae in ea parte tantum, in qua Rex Portugalliae temporaliter non dominatur prout in rub.

Decretum irritans.

Contrariis derogat.

deputati, eorumque Missionarii varias vexationes à dilectis filiis Commissariis, aliisque Officialibus, seu Ministris Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem in Civitate Goan. auctoritate Apostolica instituti, acceperint, & passi sint, ac eorum aliqui à Missionum Locis amoti, & in carcere detenti fuerint, in grave S. operis conversionis Infidelium, ac propagationis Catholicae fidei, cui dictae Sedis auctoritate destinati sunt, praedictum, & detrimentum.

§. 2. Nos ejusmodi malis anam, & occasionem in futurum praedidit cupientes ejusdem Vicarios Apoll. eorumque Missionarios tam missos, quam mittendos, & eorum quemlibet, a quacumque Jurisdictione Inquisitionum, Commissariorum, Judicum, aliorumque quorumlibet Officialium, & Ministrorum dicti Officii Inquisitionis haereticae pravitatis in ea parte tantum, in qua Charissimus in Christo filius noster Portugalliae, & Algarbiorum Rex Illustris temporaliter non dominatur, scilicet in China, Cochinchina, Tunkino, Siam, Camboggia, & aliis locis, quae memoratis Vicariis Apostolicis commissa, & Principibus Infidelibus subiecta sunt, auctoritate Apostolica tenore praesentium eximimus, & plenarie liberamus, ac exemptos, & liberatos, dictae Jurisdictioni minime obnoxios esse, & fore decernimus, & declaramus. Districte prohibentes Inquisitionibus praefatis, & per ipsos omnibus eorum Commissariis, ac Ministris, & Officialibus, ne in posterum ullum Jurisdictionis actum in dd. Vicariis Apostolicis, & eorum Missionarios exercere audeant quovis modo, seu praesumant.

§. 3. Ac decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis, Missionariis praefatis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari: sique & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac praefatos Inquisitores, aliosve quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & funguros, sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis etiam Universalibus, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon d. Inquisitionis Officii, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apoll. vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & literis Apostolicis eidem Inquisitionis Officio, illisque Inquisitionibus, Commissariis, Officialibus, & Ministris, aliisque personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & de Apostolica potestate plenitudine, seu ad quorumcumque personarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, & alias quomodolibet in contrarium praemissorum, in genere, vel in specie concessis, ac pluries, & quantumcumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio,

seu quavis alia expressio habenda, atque alia ex qua forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 22. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slafus.

Reg. in Secr. Br. in lib. Mensis Jan. par. 1. fol. 99.

Confirmatio, & innovatio Brevium Alexand. VII. & Clem. IX., ac Decretorum Congregationum de Propaganda Fide ad favorem Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum apud Sinas emanatorum, eorumque Missionariorum &c.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

DECEt Romanum Pontificem, quem Ecclesiae Catholicae per universum Orbem diffusae regimini cum potestatis plenitudine praeposuit Altissimus, ac aequi, bonique supremum assertorem in Terris constituit, ea, quae a praedecessoribus suis, & hac S. Sede Apostolica ad Christianae Religionis, & Orthodoxae fidei praesertim in remotissimis ab hac S. Sede locis propagationem, animarumque pretiosae unigeniti Dei filii Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem, felicemque fidelium in via mandatorum Domini directionem, prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, Pontificiae charitatis zelo emanarunt, ut firma, atque illibata persistant, nec temerariis quorumdam, qui quaerunt, quae sua sunt, non quae Jesu Christi, ausibus violentur, Apostolici muniminis praesidio corroborare, ac à perveris quorumcumque calumniantium conatibus tueri, ne messis, quam fideles Operarii ab eadem S. Sede missi plantarunt, & rigarunt, inimico superfeminante zizania, detrimentum accipiat, sed benedicente, atque incrementum largiente Domino ad perfectam finem perveniat maturitatis, & horrea Dominica uberrimo fructu locupletet.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa VII. praedecessor noster de tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Consilio, per ternas suas in simili forma Brevis literas, binas quidem die 9. Septembris 1659., reliquas vero die 20. Septembris 1660. respective expeditas, Venerabil. Fratres Franciscum Pallu Episcopum Heliopolitan. in Regno Tunchini cum administratione infra scriptarum Provinciarum, videlicet Junam, Queritum, Huquang, Sucenen, Quangsi, & Luos; ac Petrum Episcopum Beryten. Cocincinae cum administratione harum Provinciarum nempe Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamsi, Insulae Hainaum, aliarumque Insularum, necnon tunc in humanis agentem bo. me. Ignatium Cotolendi Episcopum Metellopolitan. Nanchini in Sina

Transumptorum fides.

Edit. 22. Dec. 1673. An. 4.

L.

Exordium.

Alexan. VII. designatis Episcopis commisit administrationem nonnullarum Provinciarum prout in rub. donecaliter à

1673.
Congreg. de
Propaganda
Fide fuisse
demanda-
tum.

DD. Episco-
porum ali-
quo deficien-
tior proximo
Episcopus il-
lius deficien-
tis Provin-
cias possit
administra-
re, aut no-
vam divi-
sionem cum alio
Episcopo in-
re donec d.
Congr. aliter
disponat.

Eis indulget
ut ad septen-
nium suos
subditos li-
cet Idioma
latinum non
intelligant
dummodo il-
lud legere
sciant, eis-
que Canon
Missæ, ac for-
mulæ Sacra-
mentorum
declarentur
ad omnes
etiam SS. Or-
dines, & Pres-
byteratum
promovere
possint eis
commutato-
nem Divini
Officii in
alias preces.

Deficienti-
bus dd. Episco-
pis super-
stes potest
unum ex Pres-
byteris cum
ipsis ad eas-
dem Partes
magis idoneum
in Episco-
pum Ec-
clesiæ parti-
bus Infidelium
præficere,
prout in rub.
cum assistentia
duorum
Sacerdotum,
vel sine.

cum administratione Provinciarum infra expres-
sarum videlicet, Pechuin, Xansii, Xantung,
Honan, Xensii, Cortæ, & Tartariæ Vicarios
Apostolicos respectiue donec, & quousque a præ-
fatorum Cardinalium Congregatione fuisse aliter
mandatum, aut dispositum, auctoritate
Apostolica fecit, constituit, & deputavit; Ac
ipsis Francisco, Petro, & Ignatio Episcopis dedit
facultatem, ut si contingeret aliquem ex ipsis in
itinere, vel postquam illuc pervenissent, morte,
vel alio eveniente defectu, deficienti proximior,
posset etiam ad eas Provincias, quæ eidem defi-
cienti Episcopo suberant, administrationem ex-
tendere, vel cum alio Episcopo novam divi-
sionem inire, qua ratione illorum Christifidelium
necessitatibus aptius consultum videretur, ne pro-
fus Pastore destituti remaneret, donec per me-
moratam Cardinalium Congregationem, quæ ita-
tim de prædictis certior reddi deberet, aliter fuisset
dispositum.

§. 2. Ut autem in Partibus prædictis Sacerdo-
rum indigenarum ordinatio facilius peragi, at-
que ita Fides Catholica ibidem firmiter, benedi-
cente Domino radicari valeret, eisdem Franci-
sco, & Petro, & Ignatio Episcopis cum Christifi-
delibus earumdem partium indigenis sibi uti Vi-
cariis Apostolicis respectiue vigore præfatarum
literarum pro tempore subditis, ut ipsi licet idio-
ma latinum non intelligerent, nihilominus dum-
modo illud legere nossent, eisque Canon Missæ,
ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararen-
tur, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus
Ordines, servatis alias servandis, promoveri, &
promoti in illis etiam Altaris ministerio mini-
strare libere, & licite possent, & valeret, dis-
pensandi; necnon recitationem officii divini,
horarum videlicet Canonicarum eisdem Christi-
fidelibus in recitationem aliarum precum in eo-
rum lingua, ipsorum Episcoporum arbitrio com-
mutandi, facultatem ad septennium dumtaxat pa-
riter concessit, & impertitus est, salva semper
in præmissis auctoritate Congregationis prædi-
ctorum Cardinalium.

§. 3. Et subinde cum eidem Alexandro præ-
decessori relatum fuisset, quod præfatus Ignatius
Episcopus viam universæ carnis ingressus fuerat,
si vero utriusque, vel alterius ex dictis Franci-
sco, & Petro Episcopis obitu quoque eveniente,
Episcopi hinc de novo ad partes præfatas mittendi
essent, non solum maximæ difficultates superan-
dæ, gravissimique labores exantlandi forent, sed
etiam grave periculum immineret, ne inter lon-
gas temporis moras, quas intervenire necesse
foret, grande illud opus directionis Christifide-
lium illic degentium, Propagandæque Christi-
anæ Religionis ab eisdem Francisco, & Petro Ep-
iscopis laudabiliter inceptum omnino deperiret,
ipse Alexander prædecessor de præfatorum Car-
dinalium Consilio, per alias suas pariter in forma
Brevis literas die 4. Februarii 1664. emanatas,
illis ex præfatis Francisco, & Petro Episcopis, qui
alteri, quem præmori contingeret, superstes foret,
ut unum ex Presbyteris hinc cum ipsis ad
easdem partes profectis, quem in Domino magis
idoneum, & tanto muneri exequendo aptiorem
judicavisset, Ecclesiæ in partibus Infidelium con-
sistenti, quæ per obitum prædefuncti ex ipsis
Pastoris fuisset destituta solatio, in Episcopum,
& Pastorem auctoritate Apostolica præficere, ei-
que sic præfecto munus consecrationis cum assi-
stentia aliorum duorum Presbyterorum, etiam si
non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica Digni-
tate constituti, si adessent, sin minus etiam sine
illorum assistentia, servatis tamen quantum
locus, & tempus permitterent, Cæremoniis in
consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac
recepto prius ab illo eisdem Alexandri præde-
cessoris, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis
debitæ solito Juramento, impendere libere, &

licite posset, & valeret, facultatem dicta auctori-
tate tribuit, & impertitus est. Ac eundem Ep-
iscopum sic ordinandum ex tunc prout postquam
ordinatus, & consecratus fuisset, ut præfatur
Vicarium Apostolicum in partibus supradictis
loco illius, ex præfatis Francisco, & Petro Ep-
iscopis, qui prior decessisset cum omnibus, & sin-
gulis facultatibus, ei per literas prædictas attri-
butis, donec tamen, & quousque a præfata Car-
dinalium Congregatione aliter mandatum, aut
dispositum fuisset eadem auctoritate deputavit,
substituit, & subrogavit salva tamen pariter in
præmissis auctoritate d. Congregationis Card.,
quam de eisdem præmissis ab alterutro eorum-
dem Francisci, & Petri Episcoporum superstite,
quanto citius fieri posset, voluit fieri certio-
rem. Cæterum præfato Episcopo, ut ipse ad Ecclesiam,
cui vigore harum literarum præfectus fuisset,
quamdiu illa ab Infidelibus detineretur, acce-
dere, & apud illam personaliter residere minime
teneretur, dicta auctoritate indulgit.

§. 4. Ac postmodum cum præfati Franciscus,
& Petrus Episcopi per Presbyterum, quem illuc
miserant, dicto Alexandro prædecessori exponi
fecissent, quod ipsi e re Dominici gregis magno-
pere futurum existimabant, si supradicto Igna-
tio Episcopo defuncto, successor in Vicariatu
Apostolico, ei sicut præfatur mandato con-
stitueretur; Idem Alexander prædecessor de
consilio Congregationis tunc existentium eisdem
S. R. E. Cardinalium super negotiis spiritualibus
Regni Sinarum ab eo deputata per alias suas simi-
liter in forma Brevis die 28. Februarii 1665. ex-
peditas literas memoratis Francisco, & Petro
Episcopis, ut unum ex præfatis Presbyteris cum
ipsis una ad partes supradictas profectis, quem
obundo Vicariatus Apostolici hujusmodi mune-
ri magis idoneum in conscientia judicavissent,
Ecclesiæ Metellopolitæ, per obitum dicti Igna-
tii Episcopi solatio Pastoris tunc destitutæ in Ep-
iscopum, & Pastorem auctoritate Apostolica
præferre, illique sic præfecto munus consecra-
tionis cum assistentia unius, vel duorum alio-
rum Presbyterorum, etiam si non essent Episco-
pi, nec in Ecclesiastica Dignitate constituti, si
adessent, sin minus etiam absque eisdem assi-
stentia, servatis tamen pariter quantum locus,
& tempus permitterent cæremoniis in consecra-
tione Episcoporum adhiberi solitis, receptoque
prius ab illo fidelitatis debitæ Juramento præfa-
to, pariter impendere libere, & licite valeret,
facultatem auctoritate præfata tribuit similiter
& impertitus est, ea tamen lege, ut hac faculta-
te non uterentur, nisi quando eis permillum
fuisset ingredi ea loca, in quibus Vicarium
Apostolicum præfatum Ignatio Episcopo, sicut su-
pradictum est, demandaverat.

§. 5. Quod si dicti Franciscus, & Petrus
Episcopi propter locorum distantiam, vel aliud
impedimentum pro hujusmodi Episcopi in locum
præfati Ignatii defuncti ordinatione insimul con-
venire nequirent, totam hanc facultatem reman-
ere voluit penes præfatum Petrum Episcopum
Beryten, qui si tempore adventus ultimo data-
rum literarum ad illas partes de hoc sæculo mi-
gravisset, eadem facultas penes memoratum
Franciscum Episcopum Heliopolitan. resideret,
Ambobus autem ab hac luce subtractis, hanc
eamdem facultatem ordinandi Episcopum dictæ
Ecclesiæ Metellopolitæ, in locum supradicti
Ignatii defuncti haberet ille Episcopus, quem
alter superstes ex eisdem Francisco, & Petro
Episcopis in vim præfatarum literarum die 4. Fe-
bruarii 1664. emanatarum consecravisset. Ac
Episcopum vigore ultimarum Alexandri præ-
decessoris literarum hujusmodi sicut præmittitur
ordinandum ex tunc prout postquam ordinatus
fuisset, Vicarium Apostolicum in partibus supra-
dictis loco memorati Ignatii Episcopi, cum om-

nibus,

Episcopum
sic de novo
consecratum
possit Vica-
rium Apolit.
in illis parti-
bus conti-
nuare in lo-
cum illius
Episcopi, qui
prior dece-
derat, prout
in rubrica.

Episcopus sic
de novo ordi-
natus ad
Ecclesiam in
partibus In-
fidelium, do-
nec ab illis
detineatur ac-
cedere non
teneatur.

Insuper di-
ctis duobus
Episcopis in-
dult ut unus
ex Presbyte-
ris ad supra-
dictas partes
secum profec-
tis, ut in lo-
cum Episco-
pi Ecclesiæ
Metellopoli-
tan. alium
subrogarent,
prout in ru-
brica.

Hac facultate
quando uti
debent.

Si insimul
convenire
nequirent to-
ta facultas
alium Episco-
pum resideat
in uno prout
in rub.

Ambobus
deficientibus
eamdem facul-
tas fit apud
illum Episco-
pum, quem
alter ex eis
jam ordina-
verat.

Sic ordinatus
Episcopus
Metellopo-
lit. Vicariatu

1673.

Apostol. in illis partibus in locum defuncti gerere possit, prout in rubr.

Ad d. Ecclesiam in Metellopolit. accedere non tenetur.

Civitas Juthia est praeceptum Emporium totius Regni Siani.

Vicarii Apostol. Tunchini & Cochinchini a ob arduas difficultates ingrediendi fines suorum Vicariarum sedes in d. Civitate fecerant.

Pro eadem gratia supplicavit favore Episcopi Metellopolitani Vicarii Apostol. ad Sinas consecrari, seu mox consecrandi. Clemens IX. d. Episcopo Metellopolitano administrationem sui Vicariatus extendit usque ad Regnum Siani, & Civitatem Juthiensem, prout in rubrica.

Casu quo ingredi possit in Sinas ei facultatem constituendi Provinciam in d. Civitate, donec aliter per S. Sedem sit provium.

Eisdem Vicariis Apostol. in Tun hino, & Cochinchina indulget, ut per 10. annos cum suis subditis possint dispensare in per quibusvis consanguinitatis, vel affinitatis gradibus non tamen in 1. gradu, prout in rub.

nibus, & singulis facultatibus, quae eidem Ignatio Episcopo per praefatas literas quomodolibet attributa fuerant, donec tamen, & quousque a memorata Congregatione Cardinalium aliter mandatum, vel dispositum fuisset, auctoritate praefata deputavit pariter, ac substituit, & subrogavit, salva similiter in praemissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium, quam de iis omnibus, quae earumdem ultimarum literarum vigore gesta fuissent, quantocitius, etiam voluit certiorum.

§. 6. Demum novo Episcopo Metellopolitano sicut praefertur ordinando Indultum non accedendi ad Ecclesiam Metellopolitana. hujusmodi quamdiu illa ab Infidelibus detineretur, nec apud illam personaliter residendi pariformiter concessit, & alias prout in praefatis Alexandri praedecessoris literis, quarum omnium, & singularum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§. 7. Et successive accepto per rec. me. Clementem PP. IX. praedecessorem pariter nostrum, quod Civitas Juthia vulgo Siam praecipuum esset Emporium totius Regni Siani, & ad illam continuus esset concursus diversarum Nationum tam vicinarum, quam longinquarum, quibus Rex d. Regni, ut ad illam libentius confluerent, & ibidem securius commorarentur, liberum Religionis, & Sectarum quarumlibet exercitium concesserat, ac nomine praefatorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum ad Regna Sinarum, Tunchini, & Cochinchinae destinatorum d. Clementi praedecessori exposito, quod ipsi ob arduas difficultates ingrediendi fines suorum Vicariatum Sedem in dicta Civitate interea fecerant, Ecclesiam, seu Cappellam ibidem erexerant, & in Conversionem Infidelium tam suorum Vicariatum, quam aliarum Nationum incubuerant, Seminarium quoque instituerant, cupiebantque propterea Episcopo Metellopolit. Vicario Apostolico ad Sinas consecrato, seu mox consecrandi extensionem administrationis, seu Vicariatus ad dictum Regnum Siani, & Civitatem Juthiensem benigne concedi; idem Clemens praedecessor supplicationibus eorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, de memoratorum Cardinalium negotiis Propagandae fidei praepositorum consilio, praefato Episcopo Metellopolitano, administrationem sui Vicariatus ad Regnum Siani, & Civitatem Juthiensem hujusmodi auctoritate Apostolica extendit quousque ingredi in Sinas idem Episcopus Metellopolitano. possit, cum obligatione tamen dictum ingressum diligenter procurandi, & eo casu facultatem quoque eidem concessit Provicarium ibidem constituendi donec aliter per Sedem Apostolicam provium fuisset.

§. 8. Ut autem praefati Episcopi Vicarii Apostolici apud Sinas, ac Tunchino, & Cochinchina respective auctoritate Apostolica deputati injuncta sibi munera ad Christifidelium illarum partium utilitatem adjuvante D. facilius exequi valerent; dictus Clemens praedecessor ex commisso sibi caelitus Sacrosancti Apostolatus officio providere volens, eisdem Episcopis Vicariis Apostolicis cum Neophitis suorum respective Vicariatum quoque, seu quibusvis (non tamen primo) consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valerent, dicta auctoritate, gratis tamen dispensandi, & eos qui in gradibus prohibitis hujusmodi Matrimonium etiam scienter contraxissent, ab excessibus, & excommunicationibus, aliisque censuris, & poenis Ecclesiasticis ea de causa incurtis in utroque Foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam, & suscipiendam legitimam decernens

di facultatem ad viginti annos tantum duraturam, quam ipsi Episcopi Vicarii Apostolici, suis respective Provicariis secundum datam sibi a D. prudentiam communicare possent eadem auctoritate concessit, & impertitus est, & alias prout in binis ipsius Clementis praedecessoris pariter in forma Brevis literis die 4., & die 11. Julii 1669. respective expeditis, plenius etiam continetur. Ac demum idem Clemens praedecessor alias in simili forma Brevis literas concessit, tenoris qui sequitur, videlicet.

§. 9. Clemens PP. IX. Ad futuram rei memoriam. Speculatores Domus Israel, quae est Sancta Dei Ecclesia in terris a D. constituti, ad illa praecipue charitatis, atque vigilantiae nostrae Pastoralis studia convertimus, quae Christianae Religionis, Catholicaeque fidei propagationem concernunt; ut illis certam, atque prudentem, ex solita hujus Sanctae Sedis providentia, & recondita, normam tradamus, & sublatis dubiis, atque controversiis, quae inter Operarios in Vineam Domini missos, in eaque sedulo laborantes, enasci, illorumque labores, & laborum fructum turbare, vel impedire possent, omnia pie, sancteque (quantum Dominus donare dignatur) disponere satagamus, quo optati surgant benedictio D. fructus, ac ad maturitatem perducantur, sanctaque Mater Ecclesia uberioribus, atque laetioribus in dies gaudeat incrementis.

§. 10. Cum itaque, sicut Venerabilis Frater Franciscus Episcopus Heliopolitanus, Vicarius Apostolicus in Regni Tunchini, cum administratione Provinciarum Sinae huic Regno adjacentium, videlicet Junam, Querikeu, Hucquang, Succuen, Quangli, & Laos, a fel. rec. Alexandro PP. VII. praedecessore nostro constitutus, & deputatus, tam suo, quam Venerabilis pariter Fratris Petri Episc. Beritenis Vicarii Apostolici Cochinchinae, cum administratione infra scriptarum Provinciarum Sinae, videlicet Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamsi, Insulae, Haynan, & aliarum Insularum, atque etiam Episcopi Metellopolitani consecrati, aut mox consecrandi Vicarii Apostolici Nanchin in Sina, cum administratione Provinciarum Pechin, Xanfi, Xantung, Honan, Xenfi, Corea, & Tartariae ab eodem Alexandro praedecessore pariter constitutorum, cum extensione administrationis dicti Episcopi Metellopolitani ad Civitatem Juthiae, totumque Siani Regnum a nobis nuper facta, nominibus, nobis exponi fecit, quod in d. Regnis, & Provinciis reperiantur diversorum Ordinum Religiosi, tam a suis respective Superioribus Generalibus quam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae fidei praepositorum, destinati, qui missionibus ibidem, sub directione suorum respective Praepositorum, aut Praefectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut necessarios Operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus Neophytis, Catechistas effecerint, illosque sibi, suaeque directioni quibusdam votis adstrinxerint, praedicti vero Episcopi Vicarii Apostolici humiliter a nobis postulaverint, ut auctoritate nobis a D. tradita decernere, atque declarare dignaremur. Primo an aliqua sit inter Vicarios Apostolicos, & Regulares praedictos subordinatio, & in quibus hi ab illis dependere debeant? Secundo, An Catechista per vota Regularibus facta eximantur a jurisdictione eorundem Vicariorum Apostolicorum?

§. 11. Nos attendentes eo potissimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Sianum, & alia vicina Regna missos, ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex Christianis Indigenis, seu Incolis illarum partium instituerentur Clerici, & Sacerdotes, ac crescente fide, fideliumque numero disciplinae Ecclesiasticae usus paulatim introduceretur: confide-

Indulget, ut hanc facultatem possint aliis communicare.

Exordium.

Exponuntur dubia ex parte Vicariorum Apostolicorum.

Tenor dd. dubiorum refertur.

Vicarii Apostol. ab omnibus Religiosis etiam Societatis Jesu in dd. Regnis, & Provinciis exigere possunt, & debent, ut literas suae Missionis exhibeant, & reuolentes punire prout in rub. Regulares dd. Vicariis licentiam petere debent exercendi suas facultates, quam sine graui causa denegare non debent.

Regulares in defectu Sacerdotum secularium tenentur exercere Curam animarum.

Subditi sint dd. Vicariis quoad functiones Parochiales.

Sine licentia, aut contra voluntatem dd. Vicariorum nequeunt aperire Ecclesias, ubi ipsi, vel alii Missionarii Ecclesias habent.

Ob multitudinem Neophytorum, vel nimiam amplitudinem Civitatis, aut Provinciae possunt, & debent dd. Vicarii Apostol. Operarios multiplicare, Parochias dividere.

DD. Vicarii possunt exigere à Regularibus rationem executionis piam voluntatum.

Iidem possunt controversias inter Regulares dirimere, sed graviora negotia deferre debent ad S. Sedem.

Votum obedientiae quod Catechistae emittunt fa-

antesque ex independentia plurimorum Operariorum in iisdem Locis praecipue cum à Sancta Sede sint remota, oriri facile posse dissensiones, rixas, divisiones, & Schismata, in Christiana Religionis detrimentum, atque perniciem eruptura, nisi illis mature occurratur: de memoratorum Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus, & ordinamus, quod praedicti Episcopi Vicarii Apostolici ab omnibus, & singulis Religiosis cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, in praedicta Regna, & Provincias, sive à nobis, aut à Congregatione eorumdem Cardinalium specialiter deputati, exigere possint, & debeant, ut suas Patentes, seu alias quascumque eorum missionis, destinationis, constitutionis, & deputationis Literas exhibeant, iisque qui illas exhibere recusaverint, tanquam Sedis Apostolicae delegati, prohibere, ne facultates sibi per Literas hujusmodi concessas exerceant, ipsique Regulares licentiam exercendi suas facultates petere teneantur ab iisdem Episcopis Vicariis Apostolicis, quam ipsi denegare non debeant, nisi in casu grauis causae d. Congregationi Cardinalium communicandae.

§. 12. Porro dicti Regulares in defectu Sacerdotum saecularium, non solum titulo charitatis sed etiam iustitiae, curam animarum teneantur exercere, & quatenus id facere reculent, à Vicariis Apostolicis ad tale munus obeundum cogi possint. Quotiescumque vero Regulares sub titulo Missionariorum curam animarum exercent, subditi sint quoad functiones Parochiales, visitationi, & collectioni Vicariorum Apostolicorum, aut Provicariorum eorumdem, iuxta Constitutionem rec. me. Gregorii PP. XV. Praedecessoris pariter Nostri, quae incipit: *Inscrutabili Dei providentia* &c. Anno Incarnationis Dominicae 1622. Nonis Februarii editam. Nec sine licentia eorumdem Vicariorum Apostolicorum, & multo minus contra eorum voluntatem liceat Regularibus aedificare, & aperire Ecclesias in Locis, ubi ipsi, vel alii Missionarii alterius Ordinis, seu Presbyteri saeculares similiter Missionarii, Ecclesias habent: ubi vero apertae non sunt, possint ad formam privilegiorum, & facultatum ipsis concessarum.

§. 13. Cum autem praeter multitudinem Neophytorum in una Provincia, aut Civitate, vel praenimia earum amplitudinae unus, aut alter, qui eis praesunt, Missionarii non sufficiunt, alique suppetunt Sacerdotes saeculares, aut Religiosi, licet alterius Ordinis, quorum tamen subsidium nec illi quaerunt, nec oblatum recipiunt, tunc habito dumtaxat respectu ad Christianorum necessitatem, possint, & debeant Vicarii Apostolici praedicti Operarios multiplicare, Parochias dividere, aliaque ejusmodi facere, iuxta praescripta à Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis. Possint quoque iidem Vicarii Apostolici exigere à Regularibus rationem executionis piam voluntatum, quatenus ad illas exequendas deputentur.

§. 14. Praeterea iuxta Constitutionem rec. me. Urbani PP. VIII. praedecessoris pariter Nostri, quae incipit: *Ex debito Pastoralis Officii* &c., si forte aliqua controversia inter Religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apostolici tanquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidere, & determinare possint, & debeant. Si vero graviora quaedam negotia occurrerent, ea ad Nos, & Romanos Pontifices Successores Nostros, quanto citius ab iisdem Vicariis Apostolicis referantur, ut quod in illis statuendum fuerit, matura consultatione adhibita, decernatur.

§. 15. Ad haec quoad Vota Catechistarum, statuimus pariter, & ordinamus, Votum obedientiae, quo nonnulli Regulares eos obstringunt

eisdem non impedire sui Officii exercitium, sub directione dictorum Vicariorum Apostolicorum, eorumque Provicariorum, nec illud impediri posse à Regularibus, tanquam eis, vigore dicti Voti, Catechista omnimodè subditi fiat, quinimo Votum hujusmodi in hac circumstantia nullum esse declaramus. Volentes ab iisdem Vicariis Apostolicis posse dictos Catechistas compelli, ut sub eorum directione, & dependentia, sua munia exerceant. Et quatenus Regulares de facto adstringerent Catechistas ad similia vota, & alias obligationes, quibus à Vicariis Apostolicis independentes remanerent, posse eosdem Vicarios Apostolicos, publica significatione, manifestare Regularibus, atque his intimare, ut abstineant ab usu, seu verius abusu, Catechistas Voto obedientiae erga se ipsos, privative quoad Vicarios, à Sede Apostolica deputatos, obstringendi.

§. 16. Insuper volumus ut ad Vicarios Apostolicos intra fines suorum Vicariatum praecipue spectet, maxime in cursu visitationis, ea inspicere, quae spectant ad fidem, bonos mores, & administrationem Sacramentorum Baptismi, Matrimonii, & aliorum. Competat quoque d. Vicariis Apostolicis facultas super novis Miraculis, & Martyribus processum instituendi, & ad memoratam Cardinalium Congregationem transmittendi, necnon circa observationem Fistorum, Rituumque Ecclesiasticorum statuendi quaecumque opportuniora videbuntur secundum Decreta Romanorum Pontificum, Locorumque circumstantias. Ac ad eosdem Vicarios Apostolicos etiam spectet verificare, & publicare quascumque Literas Apostolicas, Constitutiones, & Rescripta Romanorum Pontificum, quae locorum Ordinariis dirigi solent, Jubilaeae quoque, Indulgentias, Sacrarumque Congregationum Ordinationes. Porro unicuique memoratorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum sex Notarios Apostolicos creandi, & instituendi facultatem dicta auctoritate harum serie tribuimus, & impartimur.

§. 17. Ceterum has omnes facultates dictis Vicariis Apostolicis ita elargimur, & concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus, & prohibemus: salva semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium negotiis Propagandae fidei praepositorum.

§. 18. Mandantes propterea in virtute sanctae Obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliusque Nostri, seu d. Cardinalium Congregationis arbitrio, imponendis poenis, omnibus, & singulis Regularibus praedictis, aliisque quibuscumque, ad quos spectat, & pro tempore quovis modo spectabit, ut omnia, & singula praemissa exacte, & inviolabiliter, & inconcussè observent, & adimpleant. Ac decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac memoratis Vicariis Apostolicis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definitum debere; ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 19. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, & Institutorum, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Provinciarum, Conventuum, Domorum, Collegiorum, & Locorum Regularium quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis,

vore Regularum eos non eximità directione dd. Vicariorum in exercitio Officii.

Regulares si sub praetextu d. Voti praetendant Catechistas eis omnino subditos esse dictum Votum in hac circumstantia nullum declarant.

Possunt Vicarii Apostolici palam manifestare Regularibus, ut abstineant ab usu Catechistas Voto obedientiae erga se ipsos privative quoad dd. Vicarios Apostol. obstringendi.

Facultates dd. Vicariorum Apostol. referuntur.

Has facultates dicti Vicarii Apostol. extra eorum limites excurrere non valent.

In omnibus praemissis praeservatur auctoritas Congreg. de Propaganda Fide.

Demandat Regularibus, & aliis permissum observantiam.

Decretum irritans.

Obstantia, & Contraria refert.



& consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indul-
tis, & literis Apostolicis quibuscumque Ordinibus,
Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, &
Instituti, ac Ecclesiis, Monasteriis, Provinciis,
Conventibus, Domibus, Collegiis, & locis Re-
gularibus, illorumque Superioribus, & Personis
quibuscumque, sub quibuscumque verborum tenori-
bus, & formis, ac cum quibuscumque, etiam
derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacio-
ribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irri-
tantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in
specie, etiam Motu proprio, & de Apostolica
potestatis plenitudine, ac consistorialiter, & alias
quomodolibet in contrarium præmissorum con-
cessis, confirmatis, & innovatis.

§. 20. Quibus omnibus, & singulis, etiam si
pro illorum sufficienti derogatione de illis, eo-
rumque totis tenoribus specialis, specifica, ex-
pressa, & individua, ac de verbo ad verbum,
non autem per clausulas generales idem impor-
tantes mentio, seu quævis alia expressio habenda,
aut aliqua alia exquisita forma ad hoc ser-
vanda foret, tenores huiusmodi, ac si de ver-
bo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma
in illis tradita observata, exprimerentur, & in-
fererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter
expressis, & insertis habentes, illis alias in suo
robore permanentibus, ad præmissorum effectum
hac vice dumtaxat specialiter, & expresse de-
rogamus.

§. 21. Volumus autem, ut earumdem præ-
sentium literarum transumptis, seu exemplis,
etiam impressis, manu alicujus Notarii publici
subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica di-
gnitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides
in Judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ad-
hiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ,
vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam
Majorem sub Annulo Piscatoris die 13.
Septembris 1669. Pontificatus nostri Anno Ter-
tio.

§. 22. Præterea ad favorem supradictorum
Episcoporum Vicariorum Apostolicorum emanarunt à præfata Congregatione Cardinalium
negotii Propagandæ fidei præpositorum diversis
respective temporibus varia Decreta quibus inter
alia eisdem tribus Vicariis Apostolicis data fuit
facultas communicandi eorum facultates pro
Japonia alicui ex propriis Missionariis, postquam
tamen idioma illius Regni calluissent, vel etiam
aliis Sacerdotibus probis, etiam si ex focis eorum
non essent; ac collocandi eorum Missionem ali-
bi quam in locis sibi assignatis, postquam tamen
omni spe cecidissent prosequendi propriam, nec-
non Clericali caractere insigniendi, & ad omnes
etiam Sacros Ordines promovendi Christianos
Episcopatum ab Hæreticis, Mahometanis, &
Gentilibus occupatorum præsertim S. Thomæ,
Malacæ, & Japoniæ, absque Dimissoriis Ordina-
riorum, attenda difficultate ad eos recurrendi,
& præfato Petro Episcopo Beriten, concessa fuit
administratio Regnorum Cambojæ, & Ciampæ,
aliaque ipsis Vicariis Apostolicis respective con-
cessa, & indulta fuerunt, prout in ipsis Decretis
quorum, ac binarum priorum d. Clementis præ-
decessoris literarum præfatarum, tenores etiam
veriores, & datas præsentibus pro plene, & suffi-
cienter expressis, ac itidem de verbo ad ver-
bum insertis haberi volumus, plenius continen-
tur.

§. 23. Cum autem, sicut non sine gravissimo
animi Nostri dolore ad Nostri pervenit Aposto-
latus auditum, nonnulli variis æquivocationibus,
tergiversationibus, & subterfugiis, variisque
prætextibus, & frivolis rationibus mentem, &
intentionem hujus S. Sedis Apostolicæ circa Mis-
sionem memoratorum Vicariorum Apostolico-
rum, vimque & effectum supradictarum litera-
rum eludere conati fuerint; quinimo eorum ali-

qui, eo vesaniæ, atque temeritatis proruperint,
ut easdem literas Apostolicas falsas, & confictas,
aut subreptitias, vel obreptitias esse, dictisque
Vicariis Apostolicis se in loca suarum Mis-
sionum, & alia eis respective commissa intrusisse
falso asserere, ac ejusmodi falsis imposturis Chri-
stifideles illarum Partium seducere, ac in falsam
hujusmodi credulitatem inducere detestabili, per-
niciosoque ausu præsumperint, non sine gravis-
sima Divinæ Majestatis offensa, Fidelium scanda-
lo, ac salutis Animarum, & Infidelium ad Fidei
Catholicæ veritatem Conversionis, cui eadem
S. Sedes dictos Vicarios Apostolicos destinavit,
detrimento.

§. 24. Hinc est, quod Nos ex commissa Nobis
divinitus Apostolicæ servitutis munere æquivo-
cationes, tergiversationes, subterfugia, & præ-
textus hujusmodi penitus, & omnino è medio
tollere, ac temerarium audaciam compescere,
atque reprimere, necnon Animarum saluti, &
Christifidelium quieti, fideique Catholicæ præ-
fata propagationi quantum Nobis ex alto conce-
ditur prospicere cupientes, habita super præ-
missis cum particulari Congregatione Ven. Fra-
trum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis
Propagandæ Fidei præpositorum deliberatione
matura, de illorum consilio, & unanimi assensu,
ac motu proprio, & ex certa scientia, & ma-
tura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ
potestatis plenitudine omnes, & singulas dicto-
rum Alexandri, & Clementis prædecessorum
literas supra expressas ab ipsis Alexandro, &
Clemente prædecessoribus respective vere, & rea-
liter, ac summa maturitate, prudentia, & Apo-
stolico zelo emanasse, nec falsitatis, nullitatis,
subreptionis, vel obreptionis, aliove quocumque
vitio, vel defectu ullo modo laborare tenore
præsentium declaramus, & attestamus. Ac eas-
dem literas Alexandri, & Clementis præde-
cessorum omnes, & singulas, necnon præfata
& alia quæcumque Decreta dictæ Congregationis
Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposi-
torum ad favorem præfatorum Episcoporum Vi-
cariorum Apostolicorum, eorumque Missiona-
riorum quomodolibet emanata, cum omnibus,
& singulis in eis respective contentis, & expres-
sis, motu, scientia, deliberatione, & potestatis
plenitudine paribus harum serie approbamus, &
confirmamus, ac innovamus, illisque omnibus,
& singulis inviolabilis, & irrefragabilis Aposto-
licæ firmitatis robur, vim, & efficaciam adun-
gimus.

§. 25. Ac omnes, & singulos Juris, & facti,
& solemnitatum quarumcumque, tam ex Juris
communis, & Constitutionum Apostolicarum,
aut quorumcumque Privilegiorum, & Indulto-
rum Apostolicorum, sive Statutorum, Ordina-
tionum, Usuum, & Consuetudinum quarumli-
bet etiam immemorabilium præscripto, aut alias
quomodolibet in similibus etiam de necessitate
observandarum, & alios quoslibet etiam quan-
tumvis magnos, ac formales, & substantiales
defectus; si qui in præmissis principaliter, vel
accessorie, antecedenter, vel consequenter, aut
concomitanter, & alias quovis modo interve-
nerint, seu intervenisse dici, censer, intelligi,
vel prætendi possent, ad majorem, & abundan-
torem cautelam, ac quatenus opus sit penitus,
& omnino supplemus, & sanamus, & tollimus,
& abolemus.

§. 26. Decernentes easdem præsentibus literas,
& in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod
quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis
præminentia, & dignitatis, seu alias speciali,
& individua mentione, & expressione digni
in præmissis interesse habentes, seu habere quo-
modolibet prætendentes, illis non confenserint,
nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ,
propter quas ipsæ præsentibus emanarint sufficien-

circa Missio-
nem d. Vi-
cariorum A-
postolico-
rum esse fal-
sas, & confi-
ctas, aut
subreptitias,
vel obrepti-
tias.

Declarat
Pontif. præf.
literas Alex-
andri VII.;
& Clem. IX.
summa ma-
turityte, &
zelo Aposto-
lico emanasse
nec alio quo-
cumque vi-
tium vel defe-
ctu laborare.

Prædd. lite-
ras, & alia
quæcumque
Decreta
Congrega-
tionis de
Propaganda
Fide favore
dd. Vicario-
rum Aposto-
licor. appro-
bat, & con-
firmat.

In eis sup-
plet omnes,
& quocum-
que defectus
quatenus
opus sit.

Præsentibus
literas om-
niaque in eis
contenta
mandat bi-
servari qui-
buscumque
in contra-
rium non ob-
stantibus.

Eis, & aliis
omnibus am-
plissime de-
rogat.

Transumptio-
rum fides.

Edit. 13. Sept.
1669.

Referuntur
omnia De-
creta à Con-
gregatione de
propaganda
Fide di-
versis tem-
poribus edi-
ta favore dd.
Vicariorum
Apostol.

Præsentibus
à nonnullis
dd. literas
Alexandr.
VII. & Cle-
mentis IX.

ter adducta, verificata, & justificata fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis iusta, juridica, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, pretextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali, & incogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, apercitionis oris, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes, & praefatas Alexandri, & Clementis Praedecessorum literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis praefatis, eorumque Missionariis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcussae observari.

Decretum irritans.

§. 27. Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praefata Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus, super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandat omnibus Ordinariis Indiarum Orientalium, & quorumvis Ordinum etiam Societatis Jesu, ut praesentes literas, seu earum exempla in Provinciis, Diocesis, Conventibus, Collegiis, faciant publicari, & inviolabiliter observari.

§. 28. Mandantes propterea Ven. Fratribus, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Indiarum, aliarumque partium Orientalium Ordinariis, & eorum Officialibus, vel Vicariis in spiritualibus Generalibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutum, & Societatum, etiam Jesu, Generalibus, aliisve superioribus Regularibus, ut praesentes literas, seu eorum exempla, etiam impressa in suis quisque Provinciis, Civitatibus, Diocesis, Capitulis, Monasteriis, Conventibus, & Collegiis, Districtibus, Jurisdictionibus respective omni mora, ac dilatione, omnique tergiversatione postposita solemniter publicari, ac a suis respective subditis inviolabiliter observari curent, & faciant.

Omnia, & singula in contrarium facien. mandat praedd. literis non oblitare.

§. 29. Non obstantibus pie mem. Bonifacii PP. VIII. praedecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, itaut vigore praesentium etiam ultra duas pluresque dietas quilibet in iudicium trahi possit, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Regnorum, Provinciarum, Ordinum, Congregationum, Institutum, Societatum, etiam Jesu, Domorum, Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum, & locorum, aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, styli, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam eisdem Regnis, Provinciis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, Institutis, Domibus, Conventibus, Monasteriis, Collegiis, & locis, illorumque superioribus, & per-

sonis, etiam particularibus, & aliis quibuscumque, etiam speciali nota dignis, & de necessitate juris, vel facti omnino exprimentis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis mentis attestativis, restitutionis, & posteriori datam eligendi facultatem concedentibus, quam nemini contra praesentes literas suffragari posse decernimus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & infoliticis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, seu ad quorumvis Regum, & Principum, aut quavis alia mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium instantiam, eorumve intuitu, vel contemplatione, & alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, emanatis, ac etiam pluries, & quantifcumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in supradictis Alexandri, & Clementis praedecessorum literis concessa sunt non oblitare.

§. 30. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus specialiter, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Eis omnibus amplissime derogat.

§. 31. Ceterum volumus, ut eadem praesentes literae, seu earum exempla etiam impressa, notificentur, & intimentur singulis Ordinum, Congregationum, Institutum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, Procuratoribus Generalibus, eisque harum serie districte praecipimus, & mandamus, ut ipsas praesentes literas, tam suo, quam suorum respective subditorum, seu inferiorum nomine acceptent, atque acceptationis huiusmodi in scriptis reddant, & exempla huiusmodi pluribus viis quanto citius fieri poterit transmittant ad eisdem suos subditos, seu inferiores cum arctissimis praecipitis eisdem praesentes literas, & in eis contenta plenarie, & integre, ac vere, & realiter & cum effectu in omnibus, & per omnia exequendi, & observandi.

Mandat idd. literas seu earum exempla intimari singulis Congregationum & Institutum etiam Societatis Jesu.

Eis insuper mandat, ut idd. literas tam nomine proprio, quam suorum subditorum acceptent prout in rubrica, & quanto citius ad suos subditos transmittant. Fides transumptorum.

§. 31. Et quia difficile foret praesentes literas originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubicumque locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 23. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slufus.

Registrata in Secretaria Brev. in lib. Mensis Januarii par. 1. fol. 85.

Prohibitio sub poena excommunicationis latae sententiae omnibus Ecclesiasticis tam saecularibus, quam Regularibus etiam Societatis Jesu apud Sinas degentes, ne sub quovis pretextu, vel vigore cujusvis Privilegii Apostolici ab ullo Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, Gubernatore, Administratore, Visitate, Vica-

LI.

rio, vel